



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

II. Non benè ubique excipitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

pore ad quasvis domos, ex æterni templi adytis, advolantem. Frustra portas objeceris, seras obstruxeris, pessulum obduxeris: nulla non domus afflictioni pervia est: laborare debet virtus, ut exerceatur; vitium, ut plectatur.

II. *Non bene ubique excipitur.* Id aliàs in Commentariis ostendemus: & simul non omnes, qui laborant, pari tamen sorte & fructu laborare. Quod Augustinus, libro 1. de Civit. eximiè dixit: *Manet dissimilitudo passorum, etiam in similitudine passionum: & licet sub eodem tormento, non est tamen idem virtus, & vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, & palea fumat; & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur: nec ideo oleum cum amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur. Ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat: malos vastat, damnat, & exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant: boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatam,*

gitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & fragrat suaviter unguentum. Euundem in sensum Bernardus Epist. 32. ad Abbatem S. Nicasii Rhemensem: Sanctis & electis tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit. Sic damnandis & reprobis tribulatio parit è contrario pusillanimitatem, pusillanimitas perturbationem, perturbatione desperationem, & illa interimit. Ne ergo hac te tam horrenda, quod Deus avertat, demergat tempestas aqua, &c.. Tum subdit hortationem ad patientiam. Nos eodem fine describamus infælicem ac deplorabilem statum impatientium, ut, ex oppositione contrarii, virtus, quam commendamus, elucescat, & ad sui amorem nos potentiùs alliciat.

III. Ac primùm ex eo miseri sunt, quod quantumvis miseriis oblucentur, & ægrè ferant incurrentia, ferre tamen inviti cogantur. Cleanthis hac de re verbum sapiens est, à Seneca Latinè factum, Epist. 107.

Duc me parens, summique moderator poli

Quocum-